

Mane consurgens, & non invenient me. Ipsum tempus extremi examinis, quo alii in vitam æternam, alii in opprobrium resurgunt sempiternum, aperte designat.

Eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquiriverint consilio meo, & detraxerint uniuersa correptioni meæ. Merito salute privantur, qui principium sapientiæ timorem Domini & disciplinam, non modo non habent, sed & odiis insequuntur. At salutis filius, Iniquos, inquit, odio habui, & legem tuam dilexi.

Comedent igitur fructus viæ suæ. Viam eorum dicit, de qua supra dixerat: Pedes enim illorum ad malum currunt. Quia, inquit, vias meas ingredi noluerunt ut viverent, recipiant mercedem viarum suarum, ut in æternum pereant. At contra de his qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus, dicitur: Labores fructuum tuorum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.

Suisque consiliis saturabuntur. Quia meo consilio quo illos salvare decreveram, acquiescere renuebant, saturabuntur suis quibus aiebant: Abscondamus tendiculas contra infontem frustra. Quibus pro salvatore, latronem sibi eligebant: ut videlicet vastentur à latronibus, & inter latrones damnentur. Quod etiam de omnibus verbis Dei contemptoribus, sicut & cetera, potest accipi.

Aversio parvulorum interficiet eos. Parvulos non ætate, sed sensu dicit: quibus supra dictum est: Usquequo parvuli diligitis infantiam? Qui non parvuli, sed perfecti sensibus esse potuissent, si non à consilio sapientiæ auditum averterent, quo autem averterent, eo sese æternæ morti destinabant.

Et prosperitas stultorum perdet illos. Cùm nullis retardantibus adversis perfererint actu, quod meditantibus aiunt: Omnem pretiosam substantiam reperiemus. Item aversio parvulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos: quia sæpe aversus à timore conditoris animus, jam de ira ejusdem justit conditoris patitur, ut in his quæ peccat, nihil sustinere videatur adversi; sed ut beatus Job dicit: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Item aversio parvulorum, tribulatio vitæ præsentis. Prosperitas stultorum, letitia est reproborum. Per hæc enim gemina vitia, cuncti reprobi pereunt: cum eos aut prosperitas hujus sæculi elevat, aut adversitas dejicit.

Qui autem me audierit, absque terrore requiescet. Potest & in hac vita, & in futura intelligi: quia qui Domino perfecte deservit, nullis terretur adversis: imò gaudet in adversis: & in ipsa morte quasi de ingressu vitæ latatur, quietumque semper à supervacuis cogitationibus ac tumultibus tentationis peccus juvante Spiritus sancti gratia gerit, quod requies septimi diei in lege mysticè signabat. Sed cùm transierit è sæculo, non solum absque timore malorum, sed & in magno gaudio sperate resurrectionis quiescet: ut Lazarus in sinu Abrahamæ.

Et abundantia perfruetur, timore malorum sublato. Nunc abundantia bonorum operum, ablato timore eorum qui occidunt corpus, tunc abundantia gaudiorum in præmio. Quanta enim ibi abundantia bonorum omnium, ubi gloriam ejus à quo sunt omnia bona licet intueri, ablato proflus timore omnium, quæ aliquid adversi ulterius afferant.

Caput II.

Fili mi, si susceperis sermones meos, & mandata mea absconderis penes te. Abscondit mandata Dei penes se, qui hæc audiens, sollicitè in corde recondit, juxta illum qui ait: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Est enim summopere curandum, ne nobis hæc, juxta Parabolam Evangelii, dæmonia quasi semen secus viam jactatum, volucres tollant.

Ut audiat sapientiam auris tua. Ille enim sapientiam aure non audire probatur, qui verba Dei auditu tantum corporis percipiens, non vult memoria retinere ut hæc operetur. Si ergo mandata Dei fixo amore discendi & custodiendi susceperis, primo humilitatis viam tene: hoc est enim quod subsequenter adjicitur.

Inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Inclinare quippe, est cor ad cognoscendum prudentiam humiliare, & emundare cor, ut dignum fiat ad percipiendam mysticam veritatis. Unde eadem sapientia patri loquens ait:

Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis, id est, abscondisti à superbis, & revelasti humilibus.

Si enim sapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum prudentiæ. Nullum invocare, id est, in nos orando vocare, nisi Deum debemus. Cùm ergo sapientiam invocandam esse docet, ostendit se proculdubio non quamlibet sapientiam: id est, notitiam rerum cœlestium sive terrestrium, sed ipsam deitatis cognitionem nobis ad sequendum proponere. In hujus namque perceptione sapientiæ, summæ est perceptio beatitudinis: ipsa attestante quæ patri pro nobis supplicans, ait: Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum & verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Notandum est autem quod & sapientiam invocare, & nosmetipsos ad noscendam prudentiam, cor inclinare suadet. Quia nimirum necesse est, ut divinum in cunctis flagitemus auxilium: & ipso Domino adjuvante bona quæ valemus agamus. Neque enim sine ipso quicquam facere possumus, nec rursus sine nostro conamine quantumcumque habere valemus, quapropter nos ab ipso salvandum esse credamus.

Si quaesieris eam quasi pecuniam, & sicut thesaurus effoderis eam. Si tanta cura sapientiam, quanta cupidi querunt pecuniam: vel certe si tam sollicitè quaesieris sapientiam: ipsa sapientia (quasi infinitas per hanc ineffabiles divitias sis acquisiturus) percipies præmia quæ subsequenter exponuntur. Qui verò thesaurus effodit, eicit rudera terræ, & facit in altum foveam, sedulus infisit labori, donec ad thesauros quos quaerit attingat. Et qui thesauros sapientiæ invenire desiderat, quicquid sibi terrenum inesse deprehenderit expargat, carnales illecebras abscondat, fossam in se humilitatis faciat, nec quiescat ab agendo prius quam se venam veritatis invenisse cognoverit.

Tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Domini invenies. Si sollicito corde quaesieris, pervenies ad experientiam amabilis Domini: qui non initium, sed perfectio est sapientiæ cœlestis, in hac duntaxat vita. Ideoque non cum perfecta dilectio foras mittit, sed facit permanere in sæculum sæculi: sed & scientiam ipsius divinitatis, quæ perpetuo beatum facit, invenies.

Quia Dominus dat sapientiam. Respicit hic versiculus ad hoc quod supra dixerat: si enim sapientiam invocaveris &c. usque dum ait: & scientiam Dei invenies. Ideo namque sapientia, id est, Dominus invocandus est ad accipiendam sapientiam, quia sapientia non à nobis ipsis haberi potest, sed à Domino datur. Taceat Pelagius redargutus ab Apostolo, qui ait: Quid enim habes quod non accepisti? Et Apostolus Jacobus: Si quis autem vestrum, inquit, indiget sapientia, postulet à Deo.

Et ex ore ejus scientia & prudentia. Potest in hoc versiculo ipsa ineffabilis & cœterna Deo patri sapientiæ nativitas intelligi, de qua alibi dicit: Ego ex ore altissimi prodii primogenita. Potest os Domini & in sanctis ejus accipi, unde dicitur in Prophetis: quia os Domini locutum est. Et ex ore ejus scientia nascitur & prudentia. Quia nisi ipse os humanum sanctificet, nisi hoc suum ipse dignanter efficiat, perfectam loqui sapientiam nullatenus valet.

Custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes simpliciter. Cognatæ sibi sunt virtutes, rectitudo & simplicitas: Neque ab invicem queunt separari. Unde & sapientia unam earum sine altera non querit, sed in quibuscumque ambæ conveniunt, hos custodit & protegit. Denique de beato Job dicitur: Quia erat vir ille simplex & rectus: simplex videlicet pro innocentiam mansuetudinis, rectus per cautelam discretionis. Simplex, quia nullum lacerare, imò cunctis prodesse desiderabat: rectus, quia se à nullo corrumpi permittebat.

Servans semitas justitiæ, & vias sanctorum custodiens. Vias sanctorum generalia Domini mandata, semitas justitiæ, arctioria vitæ cœlestis instituta, quæ perfectis solum accessibilia sunt, dicit. Utrisque autem sapientia servat, ut in quocumque virtutum gradu rectos juvet ac simplices.

Tunc intelliges justitiam & judicium & equitatem, & omnem semitam bonam. Si intraverit sapientia cor tuum: & scientia anima tua placuerit: Consilium custodiet te, & prudentia servabit te: ut eruaris de via mala, ab homine qui perversa loquitur. Viam malam, opera iniqua: hominem perversa loquentem, doctorem dicit inique operationis. Viam malam, inquam, vocant, qui dicunt, veni nobiscum,

insidiemur sanguini; perversa loquentem eum, qui hujus author est susionis.

Qui relinquant iter rectum, & ambulant per vias tenebras. Pulchrè itineri recto vias tenebras opposuit, quia nimirum iter rectæ actionis in luce peragitur, atque ad lucis supernæ gaudia ducit. At sicut Deus ait: Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur ejus opera: & talis finem exterioribus sortietur in tenebris.

Qui latantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Quorum via perversa sunt, & infames gressus eorum. Ideo malefacientes exultant, quia per vias tenebras ambulant, & nesciunt quo eunt. Si enim qui ad pœnam tendunt aspicerent, gressum utique cohiberent, noxiâque læticiam salubri fletu castigarent.

Ut eruaris à muliere aliena, & ab extranea qua molles sermone suos. Pendet hic versus à superioribus, ubi dictum fuerat, prudentia servabit te. Et est sensus, prudentia servabit te, ut eruaris à muliere aliena. Quia ergo prius Salomon auditorem suum, quem sapientiam docere satagit, admonuit ne latronibus jungeretur: ne si videret furem, simul curreret cum eo, sed rectè ac simpliciter incederet: Nunc commonet ne cum adulteris portionem suam ponat. De quibus & hoc quod supra dicitur: ut eruaris de via mala, ab homine qui perversa loquitur, potest specialiter intelligi. Quæ enim perversor locutio, quam ad stupra suaderi: quod capitulum incipit à loco ubi ait: Fili mi, si susceperis sermones meos, & mandata mea absconderis penes te. Potest autem per mulierem extraneam, hæreticorum pravitas intelligi à Christi & Ecclesiæ membris aliena, quæ mollitia disertitudinis & lingue blandimentis, corda decipere innocentium solet. Psalmista: Mollierunt sermones suos super oleum, & ipsi sunt jacula.

Et reliquit ducem pubertatis suæ, & pacti Dei sui oblita est. Patet de adultera, quia primum virum relinquit, & pacti Dei obliviscitur, ejus nimirum quod cum viro suo, Domino teste, tempore nuptiarum pepigit, quod fidem sibi castitatis alterutrum servarent. Patet & de mente hæretica, quia reliquit doctorem à quo fidem Ecclesiæ didicerat, & oblita est pacti Dei sui, hoc est fidei ipsius dominicæ, quæ in symbolo continetur, quam se die baptismatis servaturam esse promiserat.

Inclinata est enim ad mortem domus ejus, & ad inferos semite ejus. Omnis conversatio adulteræ ad interitum ducit: & quamvis blanda videtur ac mansueta, non minore sentit in fine vindictam, quam qui latrocinando aperte impietati famulantur. Potest domus adulteræ, ipsa ejus caro in qua turpitudini ac luxuriæ subfistuntur accipi, quæ novissimi tempore judicii non ad vitam, sed perpetuam resurget ad mortem. Sed & hæreticorum domus, quia super arenam constructur, & cùm stare videtur, vergit ad casum, suisque cremenis quasi quibusdam semitis in impiorum confortia, id est, ad spirituum tendit tormenta malignorum.

Omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas viæ. Ad eam, ad mortem dicit, non ad mulierem. Potest enim qui adultero mixtus est, Domino juvante reverti, ac vitam pœnitendo mereri. Potest qui hæresi pollutus est resipiscendo redire ad salutem: at qui semel æterna morte raptus est, nunquam rediet ad vitam, quod contra Origenianos propriè dictum est, qui hæreticis, meretricibus, cunctisque flagitiorum turbis, & insuper ipsi diabolo atque angelis ejus post innumera licet expleti universalis judicii tempora, remissionem seclerum vitam ac regnum promittunt in cœlis, malè intelligentes illud Isaia: Et claudetur impius in carcere, & post dies multos visitabuntur; quasi post multa tempora terminati judicii salvandos dixerit impios, cùm ille è contra nullam eis salutem tribuat, sed eos qui hoc tempore mortui, pro enormitate flagitiorum claudi merentur in carcere penarum, tempore resurrectionis ad modicum visitandos significet, tantum ut receptis corporibus in judicio gravids damnentur, & continuo post judicium atrocioribus perpetuo recludantur in penis. Quamvis & ita rectè possit accipi: Omnes qui ingrediuntur ad eam, id est, ad meretricem, sive ad domum ejus, non revertentur, quia quantum atinet ad naturam iniqua sua voluntate depravatam, recursum per semetipsam non habet: sed per Dei gratiam, qua adjuvatur & instauratur, ut semitas viæ apprehendant. Designatum est enim hoc dicto pondus iniquitatis, ut cùm revertitur quis,

sibi non tribuat, sed gratiæ Dei, non ex operibus, ne fortè gloriatur.

Ut ambules in via bona, & calles justorum custodias. Viam bonam, unitatem dicit rectæ fidei, de qua Dominus ait: Ego sum via. Et alibi: Nemo potest venire ad patrem, nisi per me. Calles autem justorum, multifaria sanctorum exempla nominat. Pendet hic versus, ex eo quod supra dictum est: Prudentia servabit te, sicut & illud: ut eruaris à muliere aliena.

Qui enim recti sunt, habitabunt in terra, & simplices permanebunt in ea. Et hic rectis jungit simplices, sicut & supra cùm diceret: Custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes simplices. Quia nimirum simplicitas sine rectitudine dissoluta est & stulta: rectitudo autem sine simplicitate, austera nimium existit & dura. Verùm utraque virtus conjuncta, perfectum reddit hominem. Sed hoc inter utrumque versum distat: quia in illo quod justos in præsentia Dominus certantes adjuvet: in isto quod victores in futuro coronet, indicatur. Terræ verò nomine, Ecclesiæ designatur, quæ spiritualem Deo fructum germinare consuevit. In qua justii habitant & permanent, qui à consortio ejus nec morte separantur: sed terminata hac vita, ad illam ejus partem, quæ cum Christo in cœlis regnat, perveniunt.

Impii vero de terra perdentur, & qui inique agunt, auferentur ex ea. Possunt hæc non de cunctis generaliter reprobis dicta accipi, sed de illis specialiter qui ad terram Domini, id est Ecclesiam pertinere videbantur, & tamen existentibus meritis auferuntur ab ea: quidam quidem aperto ipsius Ecclesiæ judicio: ut Simon, Arius & Porphyrius: quidam verò in secreto invisibilis judicis, ut innumeri eorum qui etiam hominibus boni videntur. Impios enim apertos apostatas dicit: at inique agentes, omnes qui perceptis fidei sacramentis ab ejus castitate aliquo modo pravè vivendo degenerant. Utrique autem in futura retributione de viventium terra perdentur: quia non habitabit juxta Dominum malignus, neque permanebunt injusti ante oculos ejus. Et rectè quia de malorum bonorumque viis multa prædixit, de utriusque fine in conclusione subjunxit: quomodo & in præcedente Parabola, qua latronum confortia vetabat, fecerat, dicens de fine malorum: Et prosperitas stultorum perdet illos. De fine bonorum: Qui autem me audierit, absque terrore quiescet. Possunt versus de quibus novissimè disputavimus, de antiquo Dei populo etiam intelligi, quia cùm rectè viveret, in terra sua feliciter maneret: at cùm peccaret, exterminaretur ab hac terra.

Caput III.

Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, & præcepta mea custodiat cor tuum. Hinc docet misericordiam operibus insistendum, neque nostris fidendum viribus: sed à Deo auxilium esse flagitandum. Et congruo satis ordine postquam coarctat à crudelitate, postquam à luxuria castigavit, ornat actibus bonis quem instruit.

Longitudinem enim dierum & annos vitæ, & pacem apponent tibi. Ne imposita præceptorum custodia turbaret audientem, præmisit præmia certa, & sic enumeravit præcepta. Longitudine dierum, lucem sempiternam: annis vitæ, transcensum mortalitatis hujus: augmento pacis, ipsum æternæ beatitudinis statum designat. De qua dicit Isaia: Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis. Sed & priori Dei populo in præsentia datum est, ut cùm legi Dei obediret, longo tempore in pacis quiete viveret.

Miseri cordia & veritas non te deserant. Nunquam ab ore tuo veritas quæ dicenda, nunquam ab opere misericordia quæ proximo sit impendenda, recedat. Sic enim fit, ut & te Dei semper misericordia prosequatur & veritas: misericordia videlicet, qua deleat peccata tua. Veritas verò, qua compleat promissa sua.

Circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui. In gutture, organum vocis: in tabulis cordis, latitudinem insinuat cogitationis. Sit ergo virtus misericordiae & veritatis radici infixæ mentis: promatur & voce loquentis: ut & oculo inspectori arcana placeant intentionis, & proximos juvent officia locutionis. Bene autem virtutes circumdari docet gutturi, cùm vox loquentis potius intus in gutture fieri solet, quia videlicet prædicationis vox de internis emanat, sed extrâ circumdat. Nam quo alios ad bene vivendum

fulcitur, eo ad bene agendum & opera prædicantis ligat: ne extra sermonem actio transeat, ne voci vita contradicat.

Et invenies gratiam & disciplinam bonam coram Deo & hominibus. Coram Deo invenit gratiam & disciplinam bonam, qui usu virtutum jugi, promeretur à Domino ut per dies seipso perfectior efficiatur & melior. Sed & coram hominibus gratiam invenit & disciplinam bonam, cujus opera sunt talia, in quibus jure laudatur pater, quæque exemplum vendendi proximis exhibeant.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo: & ne innitatur prudentia tua. In omnibus visis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos. Non metuas ob imbecillitatem propriam divinam non posse servare mandata. Nec te rursus autumes hæc tuis implere viribus posse, vel tua naturali scientia nosse, si non per illius legem instruaris: sed potius & in dicendo & in agendo, ejus quære auxilium, & ipse cum tibi sit propitius ut implere valeas donabit.

Ne sis sapiens apud remetiisum. Videtur fortè alicui hoc idem esse mandatum quod præmissum erat, & ne innitatur prudentia tua: sed multum distat. Innititur enim suæ prudentiæ, qui ea quæ sibi agenda, vel dicenda videntur, patrum decretis præponit. Sapiens verò est apud semetipsum & is, qui in illis quæ ex patrum magisterio potuit rectè cognoscere, sese præ cæteris quasi doctior extollit. Quæ sit autem vera hominis sapientia, subsequenter ostendit.

Time Dominum, & recede à malo. Quale est in Job: Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia. Perfecti enim quique ita se debent ab omnibus continere malis, ut divinæ præsentiam majestatis cum metu semper recogitent. Et notandum quòd supra fiduciam habere in Domino, nunc autem Deum timere admonet. Ibi enim fragilium animos ne desperent, promisso Dei auxilio roborat. Hic fortiores ne de se præsumant, divini timoris memoria coercet.

Sanitas quippe erit in umbilico tuo: & irrigatio ossium tuorum. In ossibus, solida virtutum opera: in umbilico, qui interiori corporis parte medius est, infirma adhuc & imperfecta bonorum actio designatur. Si ergo Deum timueris, & non tuis viribus, sed superna protectione confusus à malis abstinerere studueris, sanitas erit umbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum; quia & infirmitas operis per hæc ad statum perfectionis convalescet: & fortia quæque tua acta unde amplius roborantur accipient.

Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum omnium tuarum da pauperibus. Multi multa pauperibus, sed de aliena substantia ac frugibus, quas vi vel fraude raperant, tribuunt. Multi largiuntur de suo, sed largiendo Dominum non honorant: quia favoris humani & non amoris superni inspectoris faciunt. Qui ergo proficuum sibi eleemosynæ fructum fore desiderat, & de suis propriis, & in conditoris honorem, tribuat: ut scilicet homines, qui ejus plasma sunt, quique ad ejus imaginem sunt facti recreentur. Non solum autem de substantia pecuniæ quam pauperi portigimus: sed de cunctæ bonæ operationis quam agimus, de universæ cælestis gloriæ quam percipimus, substantia vel frugibus Dominum honorare jubemur: hoc est, ejus in omnibus, & non nostram, querere laudem. Sed & ille Dominum de sua substantia suarumque frugum primitiis honorat, qui omne quicquid boni operatur, non hoc suis viribus ac meritis, sed supernæ gratiæ tribuit, memor illius verbi: Quia sine me nihil potestis facere.

Et implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia redundabunt. Ait in Evangelio Dominus: Thefaurizate autem vobis thesauros in cælo. Si ergo thesauros in cælo possunt habere justis, quia veras sibi divitias inveniunt: possunt utique & horrea & torcularia: quia non esuriunt, neque sitient amplius. Et implebuntur horrea tua saturitate: quia satiabor, inquit, cum manifestabitur gloria tua. Redundabunt torcularia vino, quia interna suavitas æternorum, corda cunctorum fidelium in laude sui conditoris accendit. Hinc etenim dicit: Ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Sed & in præsentem nonnunquam doctorem, qui panem verbi, qui poculum gratiæ spiritualis indigentem ministrat, majora ministrandi dona Dominus pro mercede condonat. Qui terrena subsidia largitur inopibus, ditior dando cælesti remuneratione redditur.

Disciplinam Domini, filii mi, ne abicias: nec deficias cum

ab eo corripis. Sunt qui in prosperis Domino serviunt, & in adversis recedunt. Unde sapientia quem in prosperis bene vivere docuit, etiam in correptione ne deficiat hortatur: ne accedente infirmitate, vel paupertate, vel persecutione, humanam pietatem, quam servare in tranquillitate videbatur amittat.

Quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi. Tanto ergo minus de flagello quo castigamur murmurare debemus, quanto certius in eo paternæ dilectionis pignus tenemus. Unde & ipse dicit: Ego quos amo, arguo & castigo. Notandum autem quòd pro hoc verbo Septuaginta interpretes dixere, Flagellat autem omnem filium quem recipit: quod mirandum cur Apostolus ad Hebræos Hebraicè scribens, magis sequi voluerit.

Beatus homo qui invenit sapientiam: & qui assuit prudentiam. Quia positos sub disciplina & correptione consolabatur, addit quod cæperat: insinuans quia beatitudo est vera hominis, non adversis carere in præsentia, sed æternæ sapientiæ perceptione latari: quod est in hac vita Domini voluntatem cognoscere, & in futuro ejus visione perfui. Et bene cum diceret: Beatus homo qui invenit sapientiam, mox addidit: Et qui assuit prudentiam. Sunt enim qui inveniunt sapientiam, doctrinam veritatis aure percipiunt: sed assuere prudentiam negligunt, nolendo cordis sui sinum ad percipiendam ejus amplitudinem laxare.

Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti & auri. Non metuat de correptione inopie quisquis opes acquisivit sapientiæ, quia thesauris terrestribus incomparabiliter munus cælestis præcellit.

Primi & purissimi fructus ejus. Si juxta Ecclesiasticum, radix sapientiæ est timere Deum: fructus sapientiæ qui sunt, nisi videre Deum? Et hi sunt primi ac purissimi, sive quia Deus qui videtur ab initio est, & nihil inquinatum in ejus visione incurrit: sive quia primò ad hanc contemplandam homo creatus est. Unde & adolescentior filius ubi ad patrem penitens rediit, primam solam recepisse memoratur: sive quia primum & rude aurum solet esse purissimum. Et in prima sola nostra verè est beatitudo credenda: quæ nobis in resurrectione perfectius à Domino promittitur esse reddenda.

Pretiosior est cunctis opibus: & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Non modo terrenis, verùm & cælestibus divitiis, imò & ipsis angelorum conspectibus hujus sapientiæ claritas antefertur. Unde & Propheta: Quid enim mihi restat in cælo, & à te quid volui super terram? & cætera usque ad finem psalmi.

Longitudo dierum in dextera ejus: & in sinistra illius divitiæ & gloria. Visione suæ divinitatis electos in perpetua luce condonat: & eisdem in præsentem vitam incarnationis suæ sacramentis & charismatibus illustrat ac roborat. Dat eis qui ob se comparandam sua omnia vendunt, centuplum in hoc tempore: & in sæculo venturo vitam æternam. Sequitur in hoc loco juxta antiquam translationem, quod nostri codices non habent. Ab ore ejus proficitur justitia: legem autem & misericordiam in lingua portat. Quod ideo adnotandum credidi, quia hi versiculi in opusculis patrum sæpe positi inveniuntur.

Via ejus via pulchra, & omnes semite illius pacificæ. Actiones ejus & doctrinæ quæ in Evangelii continentur pulchrae sunt: quia divinæ, ac puri hominis modum longè transgressæ, & omnia iusta ejus ad pacem ducunt æternam. Omnia quæ in carne gessit, ad reconciliandos deo mortales, ad pacificandum cum angelis genus humanum, ad demonstranda suis servandæ adinvicem, pacis & dilectionis exempla pertinent.

Lignum vite est his qui apprehenderint eam: & qui tenuerint eam, beatus. Sicut in medio paradisi lignum vite Moyse esse testatur, ita per sapientiam Dei, videlicet Christum vivificatur Ecclesia: cujus & nunc sacramentis carnis ac sanguinis pignus vite accipit, & futuro præsentis beatificatur aspectu.

Dominus sapientia fundavit terram: & stabilivit celos prudentia. Deus Pater per Filium omnia condidit. Typicè autem fundavit terram sapientia: cum per ipsum sanctam Ecclesiam in fidei soliditate locavit. Stabilivit celos prudentia, cum per eundem sublimia prædicatorum corda illustravit.

Sapientia illius eruperunt abyssi. Quando in diebus Noë rupti

rupti vult omnes fontes abyssi magnæ, vel cum quotidiano progressa fontes & flumina de abyssis, per terræ venas emanant, bulliunt, procedunt. Aliter sapientia erumpunt abyssi, cum largiente Christi gratia, profunda sacramentorum cælestium fidelibus innotescunt.

Et nubes rore concrevunt. Patet juxta literam. Sed allegoricè nubes sunt Ecclesiæ magistri, sublimes per contemplationem & vitam, rigantes cor auditorum quasi subiectam sibi terram per doctrinam. Quæ rore concrevunt: quia subtilissima discretione virtutes suas quibus proficiant, quibus alta petant, quæque minoribus in exemplum monstrant, examinant.

Fili mi ne effluant hæc ab oculis tuis. Ne disciplina temporali fatigatus, sapientiæ quæ tanta est gratiam perdas, præcave.

Custodi legem atque consilium meum. Lex sapientiæ est quæ dicit: Si vis ad vitam ingredi, non occides, non mæchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices &c. Consilium sapientiæ est cum protinus addidit: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes &c.

Et erit vita anima tua. Anima tua habet vitam cum Deo, si ejus decreta custodieris: quamlibet caro disciplina correptionis, aut etiam mortis, preatur.

Et gratia faucibus tuis. Quam dulcia, inquit, faucibus meis loquua tua! Habet ergo sensus animi fauces suas, quibus verba quæ audit djudicat, quibus res & gesta singulorum cernit discernendo examinet: & hæc amplectendo recipiat, illa reprobando contemnat. Quibus nimirum faucibus cum legem atque consilium Domini custodimus, gratia multiplicatur: quia quanto soletius quisque divinis obtemperat jussis, tanto dulcius ejus amorem concipit. Quam nostris faucibus inesse gratiam desiderabat psalmista cum ait: Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.

Tunc ambulabis fiducialiter in via tua: Fiducialiter in via nostra incedimus, cum Dei gratia confisi, profectum in bona nostra conversatione suscipimus. Si ergo ejus imperiis humiliter subdimur: & gustum superni amoris suavius faucibus mentis attingemus, & operationis bonæ augmentum semper obtinebimus. Sed & in tentationibus ne deficiamus, ipso juvante defendimur. Hoc est enim quod sequitur.

Et pes tuus non impinget. Quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.

Si dormieris, non timebis: quiesces, & suavis erit somnus tuus. Ne paveas repentina terrore, & irruentes tibi potentias impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum ne capiari. Patet juxta literam: quia securus, & dormit, & vigilat, & quiescit & ambulat, qui se innocenter ante Deum & iuste vivere meminit. Sed & iustus cum in morte dormierit, non solum potentias malignorum spirituum non metuit, sed in pace quiescit, ac securus diem resurrectionis expectat, quia Deum ubique protectorem habet & custodem. Quale est in psalmo: Nam & si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Noli prohibere benefacere eum qui potest: si vales & ipse benefac. Quia supra diligenter legem Domini & consilium observare monuit, & æternam requiem observantibus promissit: nunc multipliciter quæ sint observanda replicat. Primoque ad id quod intermisit rediens, misericordiam proximo exhibendam, & iuste cum illo docet esse vivendum. Deinde & ab inimico cavendum esse præmonet. Noli ergo, inquit, prohibere benefacere eum qui potest: quod si vales, & ipse benefac: ne audias à Domino cum Pharisæis: Ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis.

Ne dicas amico tuo, vade & revertere, & cras dabo tibi, cum statim possis dare. Non solum de eo qui eleemosynam pecuniæ petit hoc mandatum datur, ut benevoli ad largiendum, & prompti existamus: sed & per omnia Christi mandata qui ait: vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis: statim facere, & non in crastinum differre jubemur.

Ne moliaris amico tuo malum cum ille in te habeat fiduciam. Ne contendas adversus hominem frustra: cum ipse tibi nihil mali fecerit. Non vetat contendere adversus eum qui mala facit ut corrigatur: quia hoc nimirum frustra non fit, quod certa necessitas cogit ut fiat: imò etiam qui ait: Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: vult ut errantem quantum vales ad viam veritatis revocare contendas.

Tem. V.

Ne amuleris hominem injustum, nec imiteris vias ejus. Quia abominatio Domini est omnis illusor. Omnis illusor, inquit, quia illusor est, qui vel verba Dei quæ novit implere contemnit, vel eadem perversè intelligendo ac docendo corrumpit. Est illusor & ille qui promissa ejus quasi parva despicit, & iram distractionis ejus quasi tolerabilem spernit. Necnon & ille qui proximorum simplicitati, vel paupertati improbus insultat. Ideoque omnem hujusmodi illusorem, merito divina abominatur justitia. Bene autem subditur:

Et cum simplicibus sermocinatio ejus. Quia sæpe superbi dum simplicibus illudunt, prudentiores se illis quos irrident judicant. Sed horum prudentia juxta quod Jacobus ait: terrena est, animalis, diabolica. Sermocinatio autem Domini cum simplicibus est, quia illos cælestis sapientiæ secretis illustrat, quos terreni fastus ac duplicitatis nihil habere considerat. Hinc etenim dicit: abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.

Egestas à Domino in domo impii. Juxta exemplum purpurati divitis, qui & in hac vita spiritualibus egebat bonis, & in futura ad tantam pervenit inopiam, ut de digito Lazari quondam pauperis unam aquæ guttam requireret.

Habitacula autem iustorum benedictur. Juxta hoc quod Apostolus fidelibus de Domino loquens: Qui benedixit nos, inquit, omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo; qui & in remuneratione ab ipso sunt audituri: Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Sed & juxta literam sæpe contingit eos, qui aliena diripiunt, ad ultimum inopia consumi. At illos qui sua largiuntur, etiam bonis abundare terrenis.

Ipse deludet illusores, & mansuetus dabit gratiam. Hos versiculos Apostoli Jacobus & Petrus, juxta antiquam translationem posuere dicentes: Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Gloriam sapientes possidebunt: stultorum exultatio ignominia. Et Dominus ait: Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.

Caput IV.

AUDITE filii disciplinam patris, & attendite ut sciatis prudentiam. Donum bonum tribuam vobis: legem meam ne derelinquatis. Hic exhortaturus ad philosophiam, qualiter ipsa sapientia sit à patre edoctus, explicat.

Nam & ego filius sui patris mei, tenellus & unigenitus coram matre mea: Nihil magis ad spem percipiendæ sapientiæ mentes erigit, quam cum eos quos in sapientia jam clare miramur, aliquando parvulos & indoctos fuisse meminimus.

Et docebat me, atque dicebat: Suscipiat verba mea cor tuum. Custodi præcepta mea, & vires. Posside sapientiam, posside prudentiam. Ne obliviscaris, neque declines à verbis oris mei. Ne dimittas eam, & custodiet te: dilige eam, & conservabit te. Principium sapientiæ, posside sapientiam. Hujusmodi monita Salomoni à David patre data, qui verba dierum relegit, invenit. Quare autem se Salomon unigenitum coram matre nominat, quem fratrem uterinum præcessisse scriptura testatur, nisi quia ille mox natus sine nomine, quasi nunquam esset, vita decessit?

Et in omni possessione tua acquire prudentiam. Arripe illam, & exaltabis te, & glorificaberis ab ea, cum fueris eam amplexatus. In omnibus quæ possides bonis, sapienter te agere memento. Vel in omni possessione tua acquire prudentiam, omnia quæ possides terrena, contemne: dummodo sapientiam percipias: quod ipse fecit Salomon, dum data sibi optione, amorem sapientiæ cunctis præposuit rebus. In Evangelio, qui preciosam margaritam quaesivit, hanc inventam omnibus quæ habuit vendidit, emit.

Dabit capiti tuo augmenta gratiarum: & corona inclinata proteget te. Patet de Salomone, quia dum pro sapientia cuncta despiceret, ea percepta majore gloriæ sublimitate refulsit. Sed & nostro capiti, id est, principali mentis, si sapientiam amplectimur, amplior gratia spiritus augetur, & corona supernæ vite in futuro donabitur. De qua Paulus: In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quem reddet mihi Dominus in illa die. Expositis sanè his quæ à Patre verba preceperat, redit ad docendum auditorem suum sapientiam quam cepit.

L 1